

August Varenius

Aeterni Dei Spiritus Sancti Domini & vivificantis ... Honori Sacrum Pentecostale, ipso solemniter osotekoss

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733995551>

Druck Freier  Zugang





J. 512

—
1672. Pfing-

~~A 1256. 15.~~

1672
ÆTERNI DEI
SPIRITUS SANCTI

Domini & vivificantis

Qui ex PATRE FILIOQUE PROCEDIT

Qui cum PATRE ET FILIO simul adoratur & glorificatur

Qui locutus est per Prophetas

Honori

SACRUM
PENTECOSTALE,

ipso solemnī die τῆς πεντηκοστῆς

publicè propositum

ab

AUGUSTO VARENIO, D.



UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

h. t.

RECTORE.

DEUT. XVI. 9. 10.

Quibus Festum septem septimanarum DOMINO DEO TUO!

ISAÏÆ LIX. 21.

*Hoc erit fœdus meum cum istis, ait Dominus: SPIRITUS MEUS qui est in te
& verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, nec ex
ore seminis tui, nec ex ore seminis seminis tui, ait DOMINUS, ex hoc
tempore usque in seculum.*

Dorotheus Mitylenens. Metropolitanus.

Ego Sanctum SPIRITUM ex Patre Filioq³, non ut à duabus causis: sed ut ab
Unico Principio procedere profiteor, sic ut Pater & Filius unicâ spirandi
15 facultate Sanctum Spiritum spirent.

Bessarion Archiepiscop. Nicæn.

*ille Christianus servari non potest, qui S. SPIRITUM ex Patre Filioq³ proce-
dere, minimè credit.*

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. A. clb loc LXXII.



Ter illa, qua non scripta: sed tradi-
ta custodimus, quaeque vel ab ipsis Apostolis, vel
A plenariis Conciliis commendata, ab universâ
quacunquē se diffundit, seruantur Ecclesia, rectè
magnus AUGUSTINUS (epist. 118.) retulit
sacrum PENTECOSTALE s. quod ADVEN-
TUS de caelo SPIRITUS SANCTI anniversa-
riâ solemnitate celebretur. PENTECOSTE
sane V. T. tantum abest, quod ex traditione non
scriptâ fuerit, ut potius & publicâ illam lege in
ipso monte Sinai, magnificentissimus Legislator inter myriades Angelo-
rum, bis (Exod. XXIII. 16. & XXXIV. 22.) imperaverit, & quoad ipsum
temporis rationarium accuratissimè circumscripserit: FESTUM SEPTI-
MANARUM, FESTUM MESSIS, FESTUM PRIMITIARUM FERI-
ATOR! Cujus interpretis & internuncius idem NUMINIS, MOSES Deut.
XVI. 9. numeros ac nomina FESTI elegantissimo compendio explicuit: *Se-
ptem hebdomadas numerato tibi! Ex quo cæperit immitti falx in segetem,
incipies illas septem hebdomadas numerare* (scilicet, quia XV. Nisan s. Mar-
tij, velut altero Paschali die, falx primò omnium immittebatur in segetem,
ad solum Omer s. manipulum frugum maturescentium, ante messem com-
munem demetendum & in sacrario Domini offerendum, & ab illo ipso die
septem hebdomades, usque dum completeretur dies *τῆς πεντηκοστῆς*, erant nu-
merandæ, inde nomen illi, FESTI SEPTIMANARUM: quia inter *Festum
Paschale & Pentecostale* intercedebat *Messis communis*, inde illi nomen
FESTI MESSIS sc. jam absolutæ: quia, in hoc ipso solemnî Pentecostali
offerendæ erant *Primitiæ*, non prout Paschales illæ, messem præcedentes:
sed sequentes, non adhuc stantium frugum: sed elaboratarum e. c. frumen-
ti vannati, non in quantitate *manipuli*: sed ad minimum *sexagesimæ* (sc. de
6000. modiis 100.) inde, & ex hac ipsâ *Thruma* s. oblatione, novum huic sacro
nomen, ut *ἑξοχῆς* dicatur FESTUM PRIMITIARUM, quas I.
alleg. Moses expressit: *celebrabis illud tributo voluntariæ oblationis ma-
nus tuæ, quam dabis, prout benedixit tibi DOMINUS DEUS tuus*
v. 10. usus voce: MISSA, quæ quia *collationem sufficientem* qualis est
tributi, significat Hebræis, inde quosdam Pontificiorum *MISSÆ* celeberrî-
mum in Ecclesiâ nomen deduxisse, notatum Santi Pagnino & Mercero, non
nisi *comparativè* id, respectu etymologiæ, majore absurditate illi suppositæ

אֲמִירָה, altaris sc. vocabulo, concedente Apologiâ Confess. August. tit. de
 MISSA: Quid opus erat tam procul accersere etymologiam, nisi volebant
 ostentare scientiam Ebraicâ linguâ, cum extet nomen MIS A (מִסָּא) Deut.
 XVI. 10. ubi significat collationes s. munera populi, non oblationem sacerdotis.
 Debebant enim singuli, venientes ad celebrationem Paschæ, aliquod munus,
 quasi Symbolam asserre. Hunc morem retinuerunt & Christiani. Con-
 venientes enim asserbant panes, vinum, & alia, ut testantur Canones Apo-
 stolorum. Nec ita numeros saltem septimanarum & onomatologiam Festi
 in illâ gloriosâ panegyri auscultator, & inde apud Israelitas potentissimus Ora-
 tor Moses pulcherrimè explicuit: sed & ad exemplum Legislatoris fulminan-
 tis, celebrationem FESTI PENTECOSTALIS imperavit: CELEBRABIS
 FESTUM SEPTIMANARUM! Du sollt das Fest der Wochen halten! Et
 illâ quidem obligatione, postquam advenit olim dies, quo, expuncto per Cru-
 cifixum proclamantem de suggesto crucis illud: Τετέλειονται ἡ ἑορτή ἡ
 est Joh. XIX. 28. 30. subcontrario nobis rituum Chirographo Colofs. II. 14. fu-
 gerunt umbra Cant. IV. 6. nos absolvit Paulus intonans: In libertate, quâ
 Christus vos liberavit STATE! Galat. V. 1. Ne quis vos damnet respectu cibi,
 vel festi, que sunt umbra futurorum: CORPUS autem est Christi Colofs. II.
 17. Totum inde à manifestato in carne & exaltato in cruce Deo tempus, unus
 dies Evangelicus, unus, qualis à Prophetâ prædictus Isaia LXL. 1. 2. ab ipso Sal-
 vatore intimatus & publicatus (Luc. IV. 8. 9.) Jubileus, unus Sabbaticus est,
 interminabilis illius Jubilæi, illius, qui in ἀποκαταστάσει πόλεως καὶ πίστεως,
 & in primis illorum, qui habent τὴν ἀπὸ ἀρχῆς τῶν αἰώνων, totiusque
 adeo militantis civitatis Dei ardentissimis votis ac suspiriis est, (Rom. IIX.
 19. 23.) antecessor luculentissimus, in quo tamen, ne, si non perpetua, nulla
 esset tanti, quod baptismo S. Spiritus Apostolico, debemus, beneficii peculia-
 ris meditatio, sive ipsi Apostoli, ipsâ Iudæorum Pentecosta, illud effusi S. SPI-
 RITUS ὁμολογοῦμένως μετὰ μυστήριον celebrantes, exemplo fulgidis-
 simo præverint, (conf. Act XX. 16. I. Cor. XVI. 8.) sive, quicquid sit de Cle-
 mente, Ireneo, Justino (cum nec Constitutionum liber Clementis illius sit,
 nec liber quaestionum Justini, nec adeo per hunc, quod ceteroquis non extat,
 indubitato Irenei) alii instituerint, sacrum hoc anniversariâ solemnitate cele-
 bratum, magno consensu inde à Nicano Concilio (in cuius Canonibus quo-
 que XX. est: ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις γίνου μὴ κλίνας s. inde à Domi-
 nicâ resurrectionis ad usque solempne Pentecostes in precibus standum, non de
 geniculis adorandum) testantur Patres & Canones veteres Ecclesiastici, quos

quidem servare, quousque salvâ pietate licet, *Ecclesiæ prudentem ac pacificum* filium decet, memorem illius Augustini ad Januarium: *Quæ tota per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima est insanie.* Illud autem maximè memorabile, quod, prout in libro *federis* (Exod. XXIV. 7.) iterato, Legislator Dominus illis Legibus de FESTIS sine intervallo præmisit illud immutabile statutum: *Ne facito tibi Deos fufles!* Exod. XXXIV. 16. *ἡ τὰ πνεύματα τοῦ* & illius *ἐς Sinai prodeuntis, ἐ montibus Pharan illucescentis tantâ majestate* (Deut. XXXII. 2. 3.) Dominatoris, Ministerianorum primicerius Moses, in illâ Legis *δὲ ἡρώων* Deut. XVI. 10. illud legum de anniversariis solemnitatibus præambulum, illud fulmen divinum, in illâ de FESTO PENTECOSTES brevissimâ Sanctione, repræsentaverit, magnâ voce obtestatus Israellem, *ne festivitates suas, cujuscunque, & vel subtilis Idololatriæ facinore, nedum novo vitulo aureo conspurcaret:* sed quicquid institutum esset sacrorum, exclusis à cultus religiosi honore, *fufis conflatisque Deastris, ceterisque, utut sanctoribus Nominibus, sibi soli, qui esset יהוה אלהים, illibatum servaret atque sic DOMINO DEO SUO, quod inscripta Lex habet, Festum septimanarum celebraret.* Neque aliam purioris antiquitatis, utut Sanctis defunctis, Martyribus præcipuè, memorias fabricabat, non autem templa sicut Diis consecrabat, mentem fuisse testis Sanctus Augustinus l. XXII. de civ. Dei c. 10. *Non erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus: sed UNI DEO & Martyrum & nostro sacrificium immolamus, ad quod sacrificium, homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Ornamenta illa sunt memoriarum, non SACRA MORTUORUM. DEO offerimus, qui illos & homines & Martyres fecit, & Sanctis suis Angelis cælesti honore sociavit, ut eâ celebritate & Deo vero de illorum victoriis gratiam agamus & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memorie renovatione adhortemur. vid. Aug. l. IIX. de C. D. c. 27. Et sanè, si quis alius sub Christi federe festus dies est, quo, ne imaginariæ divinitati fictæque divinx hypostasi, quæ veterum Pentecosten jam olim exosam Sanctissimo Numini reddidit, sacrum peragi dicatur, prohibendû, hoc ipsum Pentecostale sacrum est. Nec enim olim ab hæreticis saltē, sive *Confudentibus* (quorum signiferi P. Samosatenus, & Sabellius) sive *Separantibus* l. S. Spiritum personam Patri ἐμοῦσσιον negantibus Arianis, Macedonianis, Eunomianis, ceterisque *ἡ ἀπομάτωσιν*, oppugnata S. Spiritus divinitas, & divina personalitas est & in creaturarum classē relegatus Creator Universitatis S. Spiritus: sed & hodiè

hodiè *divina persona S. Spiritus, à Patre & Filio procedentis* majestas, sive
 excogitatis ingeniosè discursibus, sive depravatis in hanc rem sacrarum lite-
 rarum oraculis, à *novis Photinianis s. Socinianis* Cyclopico ausu
 oppugnatur. Qui S. Spiritum ὁμοούσιον Patri Filioque personam negat,
 vel aeternà illum divinitate, sive manifestè, sive per abnegatam *personam* &
 debitè invocationis, vel, in *directâ* ad S. S. formula, qualis illa Ecclesiæ Catho-
 licæ antiquissima: VENI SANCTE SPIRITUS! gloriam, latrunculorum
 more exautorat, quid agit aliud, quàm ut irrita Christianis reddat Sacra-
 Pentecostalia, velut idololatriæ, siquidem, ita, prout molitur infensissimus
 Sancto Spiritui hostis, haberet, manifesta, atque sic, quæ ex religioso cultu ac
 devotissimâ dulcissimi Consolatoris invocatione piæ mentes experiuntur
 Pentecostalia gaudia, ipsius mysterii jugulum petendo, penitus interimat,
 quin illam ipsam, quam Ecclesia Catholica gratis nunc animis veneratur
 S. Spiritus effusionem, *fusiles* inde, quos sacris his abesse Deus jusserat, Deos,
 fabricando, vel nobis objiendo, in ipsius S. Spiritus ignominiam vertat.
 Non deerunt generosionibus S. SPIRITUS discipulis, arma, quibus & divi-
 nam illius Majestatem, contra τὰ δαιμονιάων insidias defendere, & blas-
 phemiam veritate victam in Catholicæ fidei triumphos possint convertere,
 ad quos quidem securum sternet iter flagrantissima Scripturarum Canoni-
 carum lectio & ardentissima illius, qui SPIRITUS VERITATIS est, & in omnè
 nos veritatè ducit, de cetero læsæ suæ Majestatis potentissimus & quovis hoste
 terribilior vindex, invocatio, quib; armis sub signis SPIRITUS GRATIÆ ET
 DEPRECATIONUM Sach. XII. 10. censentur veri *Sionis Filii*, in illo, quod
 præscripsimus ex *Isaia c. LIX. 20. 21. federis* s. τῆς Διαθήκης, prout appella-
 vit Apostolus Rom. XI. 27. Instrumento. Promittitur *venturus Sioni con-*
sanguineus Redemptor s. vindex, (יְהוָה) neque verò alius, quàm quo Sion-
 jam olim est potita, & per quem *conversi sunt* illi ipsi genuini Sionis filii à
defectione in Jacob v. 20. Et quod ad ipsum Deum cujus *χαρισματα*
 sunt ἀμεταμέλητα (Rom. XI. 29.) attinet (notetur v. 21. illud יְהוָה) im-
 mutabile sancitur *fedus* cum illis N. T. Filiis, cujus summa: SPIRITUM SAN-
 CTUM DEL, eundemque *benedictum DOMINUM DEUM* Israelis Luc. I.
 68. 70. licet, prout *locutus est per os Sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophe-*
tarum, ita tunc per *Isaiam*, loqueretur, nec adeò deesset ecclesiæ per tempo-
 ra V. T. (per quæ quanta fuerit *Sancti Spiritus* plenitudo vel solæ testa-
 buntur *Prophetarum Schola*, in quibus ingentes Juvenum numeros affla-
 tu, potenti possidebat, & vel ipsos Prophetarum hostes invadens derepente

immutabat S A N C T U S ille S P I R I T U S, conf. I. Sam. X. 5. 6. 10. c. XIX.
 20. 21. 23. 24. quin ne quis posterioribus V. T. sub templo 2. seculis præ-
 sentiam S. S P I R I T U S Ecclesiæ dubiam redderet, ipse DEUS DOMINUS
 ὁ πνευματικός ad Serubabelem, Iosuan, totamque universitatem populi
 in ipsâ templi fabricâ Orator prohibet: *Confirmamini & perficite!* nam
 EGO sum vobiscum, cum VERBO, quo pepigi vobiscum in exodo ex Ægypto,
 & cum S P I R I T U M E O m ansuro in vobis. *Ne timeatis!* Hagg. II. 4. 5.)
 tamen eminentissimè futurum tempore N. T. super Christo, nec recessurum
 sive à Christo sive à semine, & semine seminis MESSIÆ (illius sc. promissi
 MESSIÆ feminis conf. Isaïæ LIII. 10. *Cum anima ejus exposuerit seipsam in
 sacrificium pro reatu, videbit semen, cognitione sui ipse justus servus meus
 justificabit multos & delectatio Domini per eum prosperabitur*) ex hoc TEM-
 PORE usque IN SECULUM, & per omnia adeo N. T. tempora ad usque
 consumationem seculi. Scilicet ille ipse S. S P I R I T U S, qui est super ipso Jesu
 s. Redemptore Sionis Christo v. 20. quippe super quo quiescit S P I R I T U S D O-
 M I N I sine mensurâ c. XI. 2., unde c. LXI. 1. de seipso sic Orator intonat:
 S P I R I T U S D O M I N I, D O M I N I S U P E R M E eò quod D O M I N U S unxit
 me, promittitur Ecclesiæ, in quem adeo ex illâ immensâ, quæ datur in Chri-
 sto capite, plenitudine, S. Spiritus, unâ cum donis derivatur in membra s.
 in Semen MESSIÆ & semen seminis, & Verba quæ posuit DEUS in ore
 CHRISTI, unâ cum illo Spiritu, qui est super Christo, memorantur, non
 solum non recessura ex ore seminis Christi: sed nec ex ore seminis seminis,
 IN SECULUM. Neque enim vel solis sub V. T. Prophetis, sub N. T.
 Apostolis, Salvator sanguinis sui merito impetravit, vel ipse unâ cum Pa-
 tre impertivit S N N C T U M S P I R I T U M: sed universæ Sioni & omnibus à
 defectione in Jacob conversis, totique adeo cœtui redemptorum & per di-
 versitatem linguarum in unitatem fidei convocatorum, neque his ad tem-
 pus duntaxat certum, & vel proximis MESSIÆ in carne manifestati
 temporibus s. Semini: sed etiam Semini Seminis, idque ex hoc tempore
 usque in seculum, & omnibus adeo ad usque consumationem seculi creden-
 tibus. Cumque testimonium JESU sit Spiritus Prophetiæ Apoc. XIX. 10.
 non poterat hujus Prophetiæ dari luculentior ipso J E S U interpretes, qui
 in supremâ illâ ad Discipulos Oratione Joh. XIV. 16. EGO, inquit, rogabo
 PATREM, & ALIUM PARACLETUM dabit vobis, sc. S P I R I T U M V E-
 R I T A T I S, ut maneat vobiscum IN Æ T E R N U M, prout in eâdem oravit
 non solum pro SEMINE s. Apostolis Joh. XVII. 11. sed & pro SEMINE SE-
 M I N I S v. 20. Non sanè in æternum superviduri mortales erant Apostoli,
 SEMEN

SEMEN MESSIÆ, neque ergo his solis: sed & omnibus per *illorum Sermonum credituris*, & ipsi sic SEMINI SEMINIS promittitur hinc ALIUS PARACLETUS, & adeo (cum & ipse JESUS CHRISTUS noster *apud Patrem PARACLETUS* sit 1. Joh. II. 1. 2.) alia persona divina sc. SPIRITUS S. *Spiritus veritatis*, idemque non ad certum tempus: sed prout in Prophetâ Deus: *Ex hoc tempore usque in seculum*: ita prout hinc interpretatur ipse Vindex Sionis Christus, IN ÆTERNUM. Neque alio sine in Solemni Pentecostali *effusus super APOSTOLOS Sanctus ille Spiritus*, flammante vel centuplici linguâ, ad stuporem usq; auditorii tunc Hierosolymitani *ex omnibus gentibus*, quæ sunt *sub caelo*, derепente tanto miraculo compulsi, illos potentissimos Oratores & Pracones reddidit *Magnalium Dei*, quàm ut in orbe univërso, conversis horum præconio à *defectione* tum Judæis tum gentibus, præpararetur, illud SEMEN SEMINIS, in quod SPIRITUS ILLE CHRISTI unâ cum donis derivetur, & quidem sic ut & *Spiritus ille & verba divina non recederent ex ore SEMINIS futuri*, ex illo tempore usque in seculum. Quin propterea, post Antecessores Apostolos, in alios quoque e. c. *Conversos à defectione Samaritanos* Act. II. 17. in *Cornelium ceterosque Auditores Petri*, *Cognatos Cornelii* Act. X. 44. in XII. *illos Discipulos Ephesinos*, non sine admirando *linguarum & Prophetiæ dono*, illapsus est ille CHRISTI SPIRITUS (Act. XIX. 6.) juxta sanctissimam illam in Joële Prophetiam *effundendus novissimis temporibus super omnem carnem*, sic ut *donum Prophetiæ commune futurum esset filiorum, filiarum, seniorum, juvenum, Servorum, ancillarum*. Joel. II. 28. 29. quàm ut ostendatur hujus *de SPIRITU DOMINI*, qui est *super MESSIA*, & inde donatur SEMINI & SEMINI SEMINIS, non recessurus ab hoc in seculum, Prophetiæ, complementum. *Verba sc. quæ Deus posuit in ore Christi*, non recedent *de Ore Christianæ Ecclesiæ*, super PETRAM, non PETRUM fundatæ, IN SECULUM, & ut non recedant, *Spiritus Christi* datus est eisdem Ecclesiæ, de quo Servator: *Spiritus veritatis manebit vobiscum IN ÆTERNUM*. Datur quippe *Ecclesiæ Christi* Spiritus Christi, ut Prophetias, quas sine SPIRITU S. nemo intelligit, & genuinum illarum sensum, illibatam conservet ac custodiat. Datur Filiis Sionis s. Ecclesiæ, ut ἐν πίστει σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ imò εἰς πάντα αἰῶνες τῆς συνέσεως εἰς ἴπγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ Χριστοῦ Col. I. 9. II. 2. f. omni sapientiâ & intelligentiâ spirituali, adusq; opulentissimum certissimæ cognitionis Mysterii Dei Patris & Christi gradum magis magisque proficiant. Donum quippe Prophetiæ temporibus N. T. salvis illis eminentioribus gradibus primorum

morum temporum nuncordinarium esse debebat. Illud ipsum *χέισμα*,
 s. SPIRITUS qui h. l. promittitur Ecclesiæ, non recessurus à SEMINE &
 SEMINIS SEMINE, docere poterat Sionis Filios Omnia, tantumque præ-
 stare, ut omnes illi *θεοδιδάκται*, Joh. VI. 45. Doctore deinceps alio non in-
 digerent I. Joh. II. 27. Offeritur ab Angelo buccinatore Apocalyptico sub
 tubâ 6. *βιβλιδάριον ἀνεωγμένον* Apoc. X. 2. & seq. Prophetiæ quidem me-
 morantur *סודות סודות* i. e. *abscondite & obsignate*: sed *קץ תע דע*
adusque tempora novissima Dan. XII. 2. 4. 9. Quicquid hîc deest, non san-
 cto Spiritui: sed Filiis Sionis, non lacrymas, non preces ardentissimas,
 non studium ad discendas sacras literas, quod summum requirebatur, affe-
 rentibus, nec Agno de tribu Ihuda, ut ipse librum, quâ parte sibi signatus,
 aperiat, supplicantibus: sed minore reverentiâ, velut canis in fugâ bibens ex
 Nilo, nec posito, quod afferunt, præjudicio legentibus, nec hîc serpentem
 imitantibus, qui puro de fonte bibiturus, in speluncâ priûs Venenum ponit,
 & ita *καρπὸς πρὸς πηγήν* s. *mundus ad fontem serpit*. Non abominantur
 equidem genuini Sionis Filii, quicquid ceteroqui datur Antiquæ decoræque
 Domui Domini nostri *traditionis*, de quâ in ipso limine, commendatæ no-
 bis ex *Epistolâ ad Januar.* Augustini regulæ: ceterùm non admittunt Tra-
 ditiones dogmaticas s. *quosdam. fidei articulos, sive à Christo immediatè,*
sive ab Apostolis traditos, nullâ autem Scripturâ Canonicâ expressos & tamen
ad fidem & salutem ex æquo necessarios, propter quorum custodiam non
 minùs, quàm *Credendorum ex Scripturis* datus sit Ecclesiæ Spiritus
 Christi, quomodo corruptor hujus *testamenti*, Cœrcagienis Iber-
 nus: *Non, inquit, dictum est: Scripta mea, quæ posui in manu tuâ:*
Sed: VERBA mea quæ posui in ore tuo, non recedent de Ore
tuo: Verba autem (pergit idem) ut hominis: ita DEI latius patent,
quàm scripta. Deus non solum Angelis sine ullo scripto locutus: sed pri-
mis etiam hominibus. tam ante, quàm post lapsum & eorum posteris tam-
ante, quàm post diluvium nondum datâ per Moysen lege, multifariam
veritatem propalavit, & judicia manifestavit. Fuerit olim ante inchoatum
 vel consummatum Canonem traditioni locus: at post hunc absolutum nullus in
 negotio fidei & salutis *traditioni* locus est: sed SPIRITUS ILLE CHRISTI,
 qui datur Ecclesiæ, non nisi per Scripturas Canonicas loquitur, quin, cum
 de VERBO quidem SCRIPTO utrinque constet: TRADITIO autem an
 sc. talis nunc detur, ipsum sit *κενόμενον*, in ipsâ Adversarii argumentatione
 sc. In testamento hoc, memoratur: *Verba mea, quæ posui in Ore tuo, non re-*
cedent

cedent ab ore tuo, E. non solum scriptum: sed præter & extra hoc, aliud quoque TRADITUM verbum semini & semini seminis est commendatum, & adeo in Ecclesiâ datur talis traditionis sacrarium conf. Sinnich. c. XX. Goliathisimi profligati. Ceterum de TRADITIONIBUS ἐλεγχτικῶς differere vel quid sub illo nomine alatur monstri, publicare, nostrum nunc institutum non est: neque patitur angustia Programmatis hujus, Unum illud, quod summam continet omnium controversiarum, imò de quo uno & solo reverà controversia omnis inter quoscumque sive verè sive externâ saltim professione Christianos, est κεινομένον, sc. in quo cætum, ex illis, quibus hodie per ipsa nomina discernitur, dogmatibus, considerato, sit SPIRITUS ille Christi, & VERBA illa non recessura ex ore seminis & seminis seminis Christi, usque in seculum? minutiùs excutere. Poterat compendiarium huic scrutinio regulam dare illud axioma Paulinum, juxta quod sc. non solum nemo potest dicere JESUM DOM NUM, nisi per SPIRITUM SANCTUM: sed &, Nullus per Spiritum loquens, dicit JESUM anathema, s. JESUM & ejus doctrinam execratur, vel κακολογῆ Ἰησοῦν s. de JESU malè loquitur. I. Cor. XII. 3. Atq; κακολογῆ Ἰησοῦν Socinianismus. Quid manifestius in scripturis dogmate de Verbo s. Dei Filio incarnato, ipsaq; sic unione personali, de CHRISTI, per sanguinem pro peccatis nostris satisfactione, & imputatione justitiæ Christi in justificatione? At primum illud ὁμολογουμένως μέγα τῆς ὁσεβείας mysterium, hæresis illa vocat commentum hominum, merum somnium à Papiſtis acceptum, secundum, erroneum, tertium, ingentem Evangelicorum errorem. Conf. Socin. I. Quod regni Pol. c. 21. 4. & 5. Smalc. refut. thes. Gravv. de incarn. F D. Quid potentiùs & gloriosè magis insonat scriptura Majestate illà verè divinâ, CHRISTO ut homini, & ipsi adeo humanitati communicatâ, cujus, quoad κτῆσιν, principium, bypostatice unio, quoad plenariam & universalem χρῆσιν, ipsa ὑπερύψωσις s. superexaltatio? Christo etiam ut homini, s. secundum illam naturam, juxta quam in tempore & exinaniri potuit, & exaltari, s. gloriâ & honore coronari, dominium præsentissimum in Omnes creaturas tribuit David Ps. IIX. Non greges & armenta, non feras bestias, ne unam quidem volucrem, nullum piscem, & quicquid perambulat, semitas marium. eximit, cumq; plus ultra non posset, admirabundus exclamat: DOMINE Domine noster, quàm magnificum est nomen tuum in univâ terrâ! quin in aureolo illo, toties allegato & universaliter, prout sonat, explicato, OMNIA SUBJECISTI SUB PED BUS EJUS! quàm mirificè triumphat sæpe, pro gloriâ Filii hominis, Apostolus I. Cor. XV. 27. Eph. I. 22.

B

Heb.

Heb. II. 8. Tribuit sibi Christo etiam ut homini sedenti ad dextram Dei do-
 minium praesens, non solum in Ecclesiae membra: sed in omnes hostes, in
 ipsum adeo Diabolum, & quoscunque savissimos Tyrannos, quia domina-
 tur in medio inimicorum suorum Pl. CX 3. Memoratur in Daniele danda
 Filio hominis, potestas, gloria, regnum Catholicum, in omnes populos, na-
 tiones, linguas, & additur: Potestas ejus, potestas eterna, quae non auferet-
 ur, & regnum ejus, quod non mutabitur Dan. VII. 13. Et quid aliud quam Ma-
 jestatem Christi ut hominis verè divinam peroravit in Epist. ad Ephes. c. I.
 20. 21. 22. & c. IV. 8. 9. 10. Paulus, Christum à mortuis suscitatum, colloca-
 tum memorans ad dextram in supercaelestibus supra principatum omnem,
 imò supra nomen omne, quod nominatur, non solum in hoc seculo:
 sed etiam futuro, imò ipse qui jam ante incarnationem, ut DEUS Caelum
 & terram implebat, ascendisse dicitur ut impleret omnia. Plena est omnis
 scriptura testimoniis Majestatem & gloriam verè divinam Christi, unà
 cum gubernatione omnium creaturarum, ipsam potestatem Judicandi divi-
 nam, Christo in quantum Filius hominis est, in tempore datam, ipsi sangui-
 ni & carni Christi virtutem mundandi nos à peccatis, & dandi vitam mun-
 do communicatam, in sonantibus: vid. Phil. II. 9. 10. Hebr. II. 9. Apocal. V.
 6. 13. (ubi Omnis creatura, quae est (1) in caelo (2) super terram. (3) sub
 terrâ. (4) quae in mari, AGNO occiso acclamat: BENEDICTIO,
 & HONOR, & GLORIA, & POTESTAS IN SECLA SECU-
 LORUM. Joh. V. 26. 27. c. VI. 51. I. Joh. V. 7. At universam illam majestatis
 & virtutis increatae ac verè divinae communicationem detestatur Calvi-
 nismus, cujus nomine Beza resp. ad Act. p. 80. Communicationem illam ma-
 jestaticam, commentitiam, non verbalem, nedum realem: sed ut falsissimam
 impiam, blasphemam detestamur. Atque ita Calvinismus, κακολογῶν
 JESUM, non loquitur in Spiritu S. nec ostendit characterem illius Seminis,
 à cujus ore non recedit Sanctus ille Spiritus. Licebat exempla longè plurima
 memorare, quibus constat, quàm non Spiritus ille Christi, & Verba illa unà
 cum Spiritu Christi transmittenda ad Semen & semen seminis, praesideat in
 Calvinismo e. c. quod, ubi Deus jurat se nolle mortem morientis Ezech.
 XXXIII. II. illi opponunt: Velle: Ubi Servator sub duplicato AMEN prote-
 statur: VOLUI VOS congregare Matth. XXIII. 37. illi explicant: NOLUI,
 vel solâ humanitate & externo quodam vocationis simulacro VOLUI: Ubi
 clamat Apostolus: Christum ἡλασμένον pro peccatis totius mundi I. Joh. II. 2.
 Illi opponunt: non pro peccatis totius mundi: sed solum absolutè electo-
 rum chori, exclusis longè plurimis, quos nec miseratus unquam Deus fue-
 rit,

fit, nec redimere per Filium decreverit: sed absolute reprobaverit, quia ita
 visum fuerit. Ubi intonat Apostolus: *Deus non vult ULLUM perire* 2. Pet.
 III. 9. illi opponunt: *DEUS absolute decreto voluit longè maximam
 generis humani partem perire*: quando toties testatur Apostolus: *Quod
 CHRISTUS ex serio S.S. Trinitatis consilio vel decreto sit mortuus*
 & ἀνθρώπων se dederit pro *OMNIBUS* I. Tim. II. 6. illi oppo-
 nunt: *Non mortuum nisi pro paucis* (absolute ante Christum prædestina-
 tum Mediatorem) *Electis*. Ubi in nocte quâ traditus est, conditor Sacramenti
 Eucharistici, sic eloquitur verba Testamenti: *Edite: hoc est corpus meum*
 Matth. XXVI. 26. illi sic depravant: *Hoc, quod ore edicit tantum signum
 & figura est, absentis & in cælo tantum existentis mei corporis*; Ubi clamat
 Apostolus: *indignum communicantem reum fieri corporis Christi, non diju-
 dicando Corpus DOMINI*. I. Cor. XI. 29. illi explicant: *reum fieri, non diju-
 dicando panem cæna DOMINI*. Nec minùs in Baptismo, quando Apostoli ex
 spiritu Christi loquuntur Tit. III. 5. *Baptismum aquæ esse lavacrum regene-
 rationis*, quando Christus ipse: *baptismum illum consistere Aquâ & Spiritu*
 definit Joh. III. 5. Illi corrumpunt, & anathema Christo dicant: *Esse hoc
 Manichaicum delirium, Deum asciscere in ullam ullius creatæ rei partem*
 vid. Bez. resp. ad Acta p. 47. & seq. nec Baptismum esse, nisi *signum significans
 & representans lavacrum regenerationis, si fortè deinceps sequatur illa*.
 Quid, inquam, hoc aliud est, quàm καλοῦ γένι Ἰησοῦν, & omnem Christi do-
 ctrinam pessimè traducere. Quid autem de Babylone, in quâ Petro Romam in-
 tellectam urgent? Noti sunt Tridentini anathematismi e. c. *Si quis dixerit san-
 ctiss. Eucharistia Sacramentum secundùm ipsius Christi institutionem, non
 nisi sub utraque specie sumi, ANATHEMA sit. Si quis dixerit in illo Saera-
 mento remanere substantiam panis & vini, negaveritq; transsubstantiationem,
 ANATHEMA sit.* vid. Concil. Trid. Sess. XIII. & XXI. *Si quis dixerit. SO-
 LA FIDE HOMINEM JUSTIFICARI, vel per justitiam Christi formaliter
 justos esse ANATHEMA sit. Si quis dixerit: Homines justificari SOLA
 IMPUTATIONE justitiæ Christi, vel, solâ fiducia divinae misericordiae,
 peccata remittentis propter Christum, nos justificari, ANATHEMA sit.
 Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem semper amitti,
 aut qui fidem habet sine charitate, non esse Christianum, ANATHEMA
 sit. Si quis negaverit bona justificati opera, esse bona ipsius justificati merita,
 quibus verè mereri possit augmentum gratiæ, vitam æternam & augmentum
 gloriæ, ANATHEMA sit!* conf. sess. VI. cap. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 28. 32. Quâta
 non inquam Babel illa, dum ipsâ sedis impunitate maximè punitur, his &
 longè numerosioribus anathematismis se communionem testamenti excludit?

Quid

Quid autem de Græcis, ut mittamus errores alios, *processionem Spiritus S. à solo Patre*, tam prætractè, etiam post luculentam in Concilio *Ferraria* primùm per sessiones XVI priores a. 1438. celebrato, inde ob pestem scævientem, *Florentiam* translato, *Palinodiam*, cui solus *Ephesus Præsul* suffragium denegavit, pronuntiandum fuerit, inprimis, si *Bessarionis* illa quam laterculo I. inscripsimus censura sibi constaret? Post ipsum *Fili*um personantem: *Omnia quæ habet Pater* (exceptâ sc. solâ relatione paternitatis) *mea sunt*, post eundem confessorem: *SPIRITVS S.* (non loquetur à semetipso: sed) *de meo accipiet & annuntiabit vobis*, probatumque, thesaurum scientiæ, & ipsius adeo essentia, *Spiritu*i S. non esse à seipso: sed à *Patre & Filio*, postquâ mittitur æquè à *Filio* *Spiritus* S. quàm à *Patre*, & tamen, quia *Deus* s. persona divina, nec mittitur per *imporium*, velut à superiore, nec per *Consilium*, velut à sapientiore, utique non mittetur, nisi ex suppositâ *processione* s. *interna & æterna hypostaseos S. Spiritus productione & naturalis emanationis* ordine, extra quem non apparet, quomodo magis *Spiritus* à *Filio*, quàm *Filius* *Deus* à *Spiritu* S. mittatur: si deniq; ex æquo dicitur *Spiritus Filii*, quàm *Patris*, nec contra *Filius* dicitur *Verbum Spiritus Sancti*, cum tamen, si *Spiritus* S. licet à *Filio* non spiretur, posset dici *Filius Spiritus*, quia est illi ὁμοούσιος & cum eo simul à *patre* procedit, *Filius* quoq; licet à *Spiritu* S. non generetur, posset dici *Verbum Spiritus Sancti*, quia est illi ὁμοούσιος, & cum eo simul à *Patre* (quod argumentum tanti æstimatum *Augustino* tr. 99. in *Ioh.* ut illo solo contentus fuerit ad probandum *Spiritum* S. à *Filio* procedere) *Conf. Ioh. XV. 26. c. XVI. 7. 13. 14. 15. Galat. IV. 6.* Sanè illa *Græcorum ἀνωλόγη* sc. *Patrem Filii, Sanctique Spiritus fontem & radicem, Filium verò & Spiritum S. divina germina esse, & Spiritum Sanctum à Filio quidem scaturire, hauriri, profundi secundum temporalem missionem, non ostendit consonantiam cum Spiritu illo Christi clamantis: EGO ET PATER UNVM SVMVS, Ioh. X. 30. & verbis illis, quæ unà cum SPIRITV CHRISTI non recessura memorantur ab Ore Seminis Christi, & Semine feminis in seculum. De quo tamen, quæ nunc in transcurso commentari non licet, in posterum, si Dominus volet & vivemus, exhibebimus!*


Adhortamur Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos, ut, quod præmisimus, *Soli DEO*, ipsique sic *SPIRITUI PATRIS ET FILII* solemne hos *Pentecostale* celebrent, & cum semper, tum hac iurprimis anniversariâ solemnitate, se *testamenti* hujus quo, merito *Redemptoris, SPIRITUS CHRISTI, & verba Oris Christi non recessura* memorantur *ab Ore Seminis Christi in seculum*, *Confessores & socios*, opere ipso feriis sc. *fidei, invocationis obedientiæ, patientiæ exercitiis* ostendant. Cumque *charismata* s. gratiæ cœlestis dona, utut diversa, operetur, *unus idemque Spiritus distribuens unicuique, prout vult* *I. Cor. XII. 11.* Det, *Pater cœlestis*, det æternus æterni *Patris Filii* docentibus, det discentibus *SPIRITUM* illum bonum, qui doceat eos! *Nehem. IX. 20.* Det *Pater gloriæ, Spiritum Sapientiæ & revelationis. Ephes. I. 17.* Effundat super nos

Spiritum gratiæ & precum, Sach. XII. 10. Doce nos facere beneplacitum tuum, quia Tu es Deus noster. SPIRITVS TVVS BONVS

per terram planam *DEDVCAT NOS!*

P.P. sub Sigillo Rectoratus ipso primo Die sacro S.
SPIRITUI XXVI. Maji Anno clō lcc LXXII.





fit, nec redimere per Filium decreverit: sed ab
 visum fuerit. Ubi innotat Apostolus: Deus non
 III. 9. illi opponunt: **DEUS** absoluto decre
 generis humani partem perire: quando totie
CHRISTUS ex serio S.S. Trinitatis consilio
 & ἀντίλογον se dederit pro **OMNIBUS**
 nunt: Non mortuum nisi pro paucis (absolutu
 tum Mediatorem) **Electis**. Ubi in nocte quā ad
 Eucharistici, sic eloquitur verba Testamenti:
 Matth. XXVI. 26. illi sic depravant: Hoc, qu
 & figura est, absentis & in cælo tantum existentis
 Apostolus: indignum communicantem reum su
 dicando Corpus **DOMINI**. I. Cor. XI. 29. illi exp
 dicando panem cæna **DOMINI**. Nec minus in Ba
 spiritu Christi loquantur Tit. III. 5. **Baptismum**
 rationis, quando Christus ipse: baptismum illu
 definit Joh. III. 5. Illi corrumpunt, & anather
 Manichaicum delirium, Deum asciscere in ulla
 vid. Bez. resp. ad Acta p. 47. & seq. nec Baptismu
 & representans lavacrum regenerationis, si
 Quid, inquam, hoc aliud est, quàm κατὰ λόγον
 etrinam pessimè traducere. Quid autem de Babyl
 tellectam urgent? Noti sunt Tridentini anathema
 Et s. Eucharistia Sacramentum secundum ipsius
 nisi sub utraque specie sumi, **ANATHEMA** sit.
 mento remanere substantiam panis & vini, neg
 nem, **ANATHEMA** sit. vid. Concil. Trid. Sess. XII.
LA FIDE HOMINEM JUSTIFICARI, vel per
 justos esse **ANATHEMA** sit. Si quis dixerit
IMPUTATIONE justitiae Christi, vel, solā fi
 peccata remittentis propter Christum, nos justu
 Si quis dixerit, amissā per peccatum gratiā si
 aut qui fidem habet sine charitate, non esse Ch
 sit. Si quis negaverit bona justificati opera, esse b
 quibus verè mereri possit augmentum gratiæ, vit
 gloria, **ANATHEMA** sit! conf. sess. VI. can. 7.
 non inquam Babel illa, dum ipsā sedis impunita
 longè numerosioribus anathematismis se comm

verit, quia ite
 perire 2. Pet.
 maximam
 stolus: Quod
 sit mortuus
 illi oppo
 n prædestina
 or Sacramenti
 corpus meum
 tantum signum
 Ubi clamat
 risti, non diju
 eri, non diju
 Apostoli ex
 crum regene
 quā & Spiritu
 ant: Esse hoc
 e rei partem
 um significans
 sequatur illa.
 Christi do
 Romam in
 is dixerit san
 tionem, non
 t in illo Sacra
 substantiatio
 is dixerit: SO
 si formaliter
 ificari SOLA
 misericordia,
THEMA sit.
 mper amitti,
NATHEMA
 ficati merita,
 augmentum
 28. 32. Quam
 unitur, his &
 enti exclusit?
 Quid

